

leistet haben, dass dessen Ansprüche an das Haus zu Étrépigny unberechtigt seien.

1175.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Bocardus de Assuello, imperialis aule legatus in Burgundia, presentibus et futuris rei geste noticiam.

Opus pietatis est, ecclesiarum possessiones intemeratas custodire et ad earum utilitatem, que . . . .<sup>a</sup> . . . . solvat, veritatem non occultare. Noverit igitur fidelium universitas, quod canonici Bisontine ecclesie sancti Pauli querimoniam<sup>b</sup> de preposito de Dola in conspectu nostro fecerunt, eo quod annualem receptionem in domo de Stirpiniaco contra rationem caperet ac usagium in omnibus nemoribus de Calce, Aliis et Finagio<sup>1</sup> usurparet. Unde factum est, quod eosdem canonicos et prepositum ad instanciam convocavimus, et auditis utriusque partis allegacionibus placuit utrisque, ut clientes de Dola super hec veritatem suam iureiurando profiterentur. Et quia hoc satis rationabile videbatur, senioribus quibusdam clientibus per fidelitatem domini imperatoris precepimus, ut inde veritatem suam [iureiurando profiterentur<sup>c</sup>]. Nunc igitur in curia<sup>d</sup> Hugo de Hospitali, qui tunc erat prepositus, Stephanus de Dompna Petra, Paganus de Lavans, Willelmus de Dola et alii clientes, qui sub eadem fidelitate imperatoris asseruerunt et iuraverunt<sup>e</sup>, eciam voluerunt, quod ex iure receptionem illam dicta domus non deberet, sed erat libera totaliter, et usagium in omnibus nemoribus de Calce, Aliis et Finagio pure et libere haberet<sup>e</sup>. Ex parte igitur imperatoris precepimus, preceptam calumpniam ex toto sepeliri et nulla gravamina ecclesie sancti Pauli deinceps super hac occasione inferri.

Huius rei testes sunt Odo Campanensis, Guido miles de Villasum, Arnulphus de Dola, Stephanus de Lala milites.

Recognitum est hoc totum in presencia Ebrardi, tunc temporis Bisontine sedis electi; magistro Atardo et magistro Ebrardo de curia imperatoris presentibus; anno ab incarnatione<sup>f</sup> domini millesimo 100 septuagesimo quinto.

---

a) homē, dann Lücke. b) *gravissimum*. c) Lücke. d) *in iure*, doch unsicher. e) Lesung unsicher. f) *imperate*.

1) Mit *Aliis et Finagio* (oder *aliis et finagio*?) weiss ich nichts anzufangen. Ueber Étrépigny und den Wald von Chaux vgl. Marquiset, *Statistique hist. de l'arrond. de Dole* II, 59.